

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 7134

**Auteur(s)** : Richard de Bohon, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Saint-Georges-de-Bohon, Saint-Georges de Bohon (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1172, 10 mars

**Lieu d'émission** : Coutances

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte de Richard de Bohon, évêque de Coutances, pour le prieuré de Bohon.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Introduction, Paris, Imprimerie nationale, 1909, p. 21.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCCL, t. 1, p. 582-583.

Texte établi d'après a

Dilectis in Christo sancte matris Ecclesie fidelibus universis ad quos presentes littere pervenerint, Ricardus, Dei gratia Constantiensis episcopus, in Domino salutem.

Notum vobis facimus quod Engerramus de Campo Rotundo contendebat adversus dominum suum Engelgerum de Bohun et calumpniabatur pro ecclesia de Capella, quam idem Engelgerus prioratui suo monachorum de Bohun dederat, et Engerramus dicebat suam esse et de presentatione sua et de feudo suo quod tenebat de eo in Capella. Tandem, per amicos et prolocutores, coram nobis compositum est amicabiliter inter eos in hunc modum. Engerramus donationem hanc concessit, ipse et uxor sua, cum qua feudum illud acceperat, et filii eorum, Willelmus primogenitus et Gaufridus clericus, et super sanctum evangelium unusquisque eorum confirmavit in perpetuum, et calumpniam omnem inde propositam abjuravit, nulla re alia sibi aut posteris suis inde retempta, nisi quod, ex presentatione venerabilis filii nostri Roberti, tunc prioris monachorum de Bohun, et assensu sui capituli, donavimus prescriptam ecclesiam cum pertinentiis suis omnibus in perpetuum elemosinam predicto clerico nostro Gaufrido filio Engerrami, tenendam de illo priore et successoribus ejus, integraliter liberam et quietam, pro XV. quarteriis frumenti ad mensuram ville de Capella, annuatim reddendis in festo Sancti Michaelis, et coram nobis juravit ei fidelitatem et annuam istam pensionem, et post decessum ejusdem Gaufridi, quocumque decesserit a seculo, sive morte vel mutatione habitus in religionem, vel si fuerit convictus aut confessus alicujus criminis (quod absit), tota ecclesia ista redeat in proprietatem monachorum de Bohun, salvo jure Constantiensis ecclesie et consuetudinibus episcopalibus. Ipse etiam Engelgerus sepedictam ecclesiam quietavit et liberam reddidit, in presentia nostra, de auxilio regis et suo, in quibus computabatur pro XXX. acris terre.

Testibus : Petro abbate Exaquii, Willelmo abbate Sancti Laudi, Alveredo cantore, Savario, Willelmo, Ricardo, Roberto, archidiaconis, Willelmo archid[iaconi] filio, Roberto de Sancto Laudo, Petro, Ranulfo, Roberto de Piro,

Gilleberto et Willelmo fratribus, magistro Thoma, Willelmo filio decani, Rogero, canonicis nostris, cum priore Walkelino [et] Thoma, monachis suis, Alano clerico de Magnevilla, Willelmo de Port capellano monachorum, Willelmo Geron, Roberto Salsart, Ricardo Ferrant, Willelmo Pisce ; de laicis: Ingelgero, Thoma et Ricardo de Groceo, fratribus, Radulfo de Bohun, Jordano de Maisnillo Am[ato], Hugone de Burgo, Pagano et Hugone Carbonellis, Radulfo de Sancta Maria, Gaufrido de Sancto Georgio, Hugone Male Herbe, cum Engerramo de Campo Rotundo [et] fratribus suis Henrico, Willelmo ; Ricardo et Willelmo de Mosteros, Rogero de Monasteriis, Roberto de Cigné, Thoma de Bricavilla, Ricardo de Maisnildo et aliis multis.

Actum est hoc anno ab incarnatione Domini M. C. LXXII, VI idus martii, Constanciis, in capitulo, sub regibus nobilissimis nostris patre et filio Henrico utroque, patre pacificante Yberniam, filio existente in Normannia, nostroque et capituli nostri sigillo confirmatum.